DE SCRIPTORE PRIORIS ADVERSUS ARISTOGITONEM ORATIONIS, QUAE DEMOSTHENIS ESSE FERTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HUGO STIER
WERNIGERODENSIS.

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.
MDCCCLXXXIV.

HERMANNO STIER

GYMNASII WERNIGERODENSIS PROFESSORI

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D D. D.

AUCTOR.

Ex duabus adversus Aristogitonem orationibus traditis inter Demosthenicas, quas ab Alexandrinis collectas et in ordinem redactas esse constat [1]), priorem a Demosthene et conscriptam et in causa illa Aristogitonia habitam esse veteres homines docti fere omnes censebant: Plutarchus [2]) non dubitat, quin Demosthenes eam conscripserit; auctor libelli, qui inscribitur „περὶ ὕψους“ [3]) laudat locum desumptum ex hac oratione ut Demosthenica; item ut omnia fere exempla ex Demosthenis orationibus ita non pauca ex priore Aristogitonia sumit Hermogenes [4]); Plinius minor [5]) et ex aliis Demosthenis orationibus et ex Aristogitonia priore locos quosdam affert, quibus comprobet „laxandos esse eloquentiae frenos nec angustissimo gyro ingeniorum impetus refringendos“. Denique ut hi omnes, ita Photius [6]) orationem iudicabat vere Demosthenicam. Contra Dionysius Halicarnassensis [7]), cuius in talibus rebus maxime est intellegens incorruptissimumque iudicium, cum in multis partibus orationis ut Demosthene indignis offenderet, eam ab summo illo oratore abiudicavit.

---

1) vid. Sauppius Epist. crit. p. 49.

2) Vita Dem. c. XV.

3) c. XXVII, 3.

4) π. ἰδ. I, 6 p. 221, 228, 231; 8 p. 240; II, 10 p. 367.

5) Epist. IX, 26.

6) Bibl. CCLXV, p. 491 a. Bekk.

7) Dem. c. LVII. Dionysius commemorat hoc loco *ὀνόματα φορτικὰ καὶ ἀηδῆ, ἀγροίκους κατασκευάς*. Plura dixerat in scripto, quod nobis non servatum est, legerat autem Libanius, qui in argumento orationibus Aristogitoniis praemisso dicit: *Διονύσιος δὲ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς οὐ δέχεται τούτους τοὺς λόγους Δημοσθένους εἶναι, ἐκ τῆς ἰδέας τεκμαιρόμενος.*

Idem est iudicium plurimorum nostrae aetatis criticorum.[1]) Pro Demosthenica Aristogitoniam priorem haberi volunt C. E. A. Schmidtius[2]) et qui nuperrime de hac re scripsit Henr. Weilius[3]); alii si non a Demosthene, at certe ab aliquo ex aequalibus eius conscriptam et in foro habitam esse censent, ut R. Braunius[4]); Reiskius[5]) et Cobetus[6]) etiam invenisse sibi videntur, quis fuerit ille aequalis: Hyperidem auctorem orationis esse contendunt. Reliqui omnes viri docti, ut Taylorus[7]), A. G. Beckerus[8]), G. H. Schaeferus[9]), Schoemannus[10]), Arn. Schaeferus[11]), Fr. Blassius[12]), Westermannus[13]) hanc orationem esse opus rhetoris alicuius vel sophistae Demosthenem imitantis putant.

Iam ad finem perducta erat haec dissertatio et amplissimo philosophorum ordini proposita, cum edita est J. H. Lipsii commentatio „Ueber die Unechtheit der 1. Rede gegen Aristogeiton“ (Leipziger Studien VI, 319 sqq.), in qua sagacissime enumerantur, quae in oratione a iure Attico atque consuetudine iudiciorum aliena commemorantur. Atque equidem notis textui subiectis ea modo afferam argumenta a viro doctissimo prolata, quibus confirmantur vel supplentur quae ipse cogitando inveni.

Ac priusquam diligentius in rem inquiramus, pauca praemittenda videntur de causa litis, de qua Libanius ar-

---

1) De iudicio priorum criticorum cf. Westermann Griech. Beredsamk. p. 302.

2) In excursu ad Dinarchum „de duabus orationibus in Aristogitonem Demostheni vulgo adscriptis“ adiecto edit. oratt. Dinarch. p. 110.

3) Revue de Philologie. Nouvelle Série. Année 1882.

4) De duabus adv. Ar. or. Dissert. Gryphiswald. 1873.

5) Annot. ad or. in Arist. p. 777, 5; 786, 5.

6) Miscellanea critica p. 575.

7) Praefatio.

8) Demosth. als Staatsmann u. Redner p. 399 sq.

9) Apparat. crit. et exeg. IV p. 304.

10) Attischer Process p. 660.

11) Demosth. und seine Zeit. III B p. 113 sq.

12) Att. Beredsamkeit III A p. 360 sq.

13) Quaestt. Demosthemicae III, p. 94 sq.

gumento orationibus Aristogitoniis praemisso et Dinarchus oratione *κατ᾽ Ἀριστογείτονος* satis multa tradiderunt.

Cum Hierocles, Phanostrati filius, quod sacram vestem induisset, a prytanibus apud populum accusatus esset, Aristogiton Atheniensis, homo improbitate insignis, rogationem tulit, ut Hierocles, si confiteretur se vestem illam ex templo surripuisse, statim morte multaretur, si infitias iret, ut quaestio de eo haberetur. Sed Phanostratus et Demosthenes Aristogitonem *παρανόμων* accusaverunt et Hieroclem insontem esse tam manifesto ostenderunt, ut ille quinque talentis damnaretur.

Paulo post Aristogiton Hegemoni litem intendit, sed pecunia corruptus destitit, quamobrem, ut lex erat Athenis, mille drachmis multatus est. Cum autem neque illa neque hac multa usque ad constitutam diem soluta infamia notatus dupli condemnatus esset, fratri fundum vendidit ea condicione, ut is singulis pensionibus per decem annos totam multam solveret. Ac duo talenta et quadringentas drachmas frater iam solverat, reliqua summa in tabulis aerarii notata erat.

Interim cum Aristogiton, quod frater multas solvendas suscepisset, liberum se esse ratus ut civis integer denuo sycophantam agere coepisset, Lycurgus eum *ἐνδείξει* reum fecit, quod in foro verba faceret, quamquam debitor aerarii esset. Praeterea tertium Aristogitonis debitum in tabulis aerarii notatum erat, quod falso ab Aristone inscriptum esse reus contendebat eoque nomine se illi *γραφὴν ψευδεγγραφῆς* intendisse.

Lycurgo igitur accusatori id imprimis erat agendum, ut quamquam Aristogiton fundum vendidisset fraterque duas iam pensiones solvisset, tamen illum debitorem aerarii manere ostenderet; praeterea demonstrare necesse erat Aristogitoni ut iure fortasse inscripto praestandam esse multam, dum de re ipsa iudicium factum esset.

Quamquam oratio Lycurgii periit, tamen quae ibi scripta fuerint, aliqua ex parte eruere possumus ex argumento Libanii, quem quae afferat ex oratione ipsa hausisse admodum probabile est, deinde ex Dinarchi oratione Aristogitonia, qui

testimonia Lycurgi commemorat, tum ex hac, quae Demosthenis esse fertus oratione, in qua quae res commemorantur non addito testimonio, eas a Lycurgo iam argumentis confirmatas esse putandum est. Accedit, quod ne reliquiae quidem orationis Lycurgeae[1]), quamvis paucae, nullius pretii sunt.

Lycurgus longiore[2]) et laudatissima[3]) oratione omnia, quae in causa erant, in omnes partes exsecutus erat[4]) reumque contra ius atque leges fecisse ostenderat[5]). Exposuerat Aristogitonem ter pecunia multatum esse[6]), praesertim cum causa, quam Hegemoni intendisset, cecidisset, mille drachmis damnatum esse[7]). Dixerat, si ab Aristone iniuria Aristogiton in tabulis aerarii inscriptus esset, huius quidem nomen secundum leges delendum esse et illius inscribendum[8]); sed priusquam iudicium de ea re factum esset, reum in foro dicere vetitum esse quia adhuc ignoraretur, num forte iure inscriptus esset[9]). Ne privata quidem vita moresque rei in oratione neglecta erant. Patrem Cydimachum, cum capitis damnatus Eretriam fugisset, nihil adiuverat filius neque mortuum honeste sepeliendum curaverat. Idem matrem

---

1) Kiesslingius Lycurgi fr. p. 30 sq. Baiter. et Saupp. oratt. Att. II, p. 259 sq.

2) Orat. adv. Ar. I, 1: *πάλαι καθήμευς.*

3) l. c. *τὰ μὲν ἄλλα καλῶς αὐτὸν ἡγούμην λέγειν.*

4) Liban. arg. p. 769: *ἐπειδὴ τὴν πρωτολογίαν ἔλαβε Λυκοῦργος καὶ πᾶσι τοῖς κεφαλαίοις αὐτὸς ἐχρήσατο.* Schol. ad Dem. c. Lept. I, p. 457 *πρωταγωνιστοῦντος Λυκούργου καὶ μικρά, μᾶλλον δὲ οὐδὲν καταλιπόντος εἰς ἀπόδειξιν τῶν πραγμάτων τῷ ῥήτορι.*

5) Orat. adv. Ar. I, 14: *τὰ μὲν οὖν περὶ τῆς ἐνδείξεως καὶ τῶν νόμων δίκαια αὐτόν, ὅπερ πεποίηκε, Λυκοῦργον ἐρεῖν ἡγούμην καὶ τοὺς μάρτυρας τῆς πονηρίας τῆς τούτου τοῦτον ἑώρων προςκαλούμενον.*

6) Or. adv. II, 1: *ὅτι μὲν τοίνυν καὶ ὀφείλει τῷ δημοσίῳ Ἀριστογείτων .... φανερῶς ἐπιδέδεικται.*

7) Harpocrat. s. v. *χιλιωθέντα: Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος ἀντὶ τοῦ χιλίας ὀφλόντα.*

8) Harpocr. s. v. *ἀγραφίου* et *ψευδεγγραφή: ... καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Ἀριστογείτονος.*

9) Liban. p. 769: *Δημοσθένης δὲ καὶ Λυκοῦργος περὶ .... „πρὶν δὲ κριθῆναι τὸ πρᾶγμα, οὐ προσήκει λέγειν τὸν τάχα δικαίως ἐγγεγραμμένον καὶ ψευδῶς ἐγκαλοῦντα τῷ Ἀρίστωνι.“*

male vexaverat neque impediverat, ne libertina rursus in servitium veniret, ubi nata erat [1]. Hominibus, quorum beneficio angustiis liberatus erat, causas intenderat [2]. Tam multa eiusmodi exempla Lycurgus contulerat, ut Aristogitone nemo nequior videretur [3]. Summo animi ardore incitatum eum dixisse putandum est; Minervam enim et matrem deorum invocaverat, ut urbem tali peste exsolverent [4]; inventutem Atheniensium commemoraverat [5], atque nescio an ab iudicibus petierit, ut reum ut nequissimum hominem in *ὄρυγμα* conicerent [6].

Sed non solum a Lycurgo accusatum esse Aristogitonem traditum est, sed etiam Lycurgum a Demosthene esse adiutum hac oratione, quae inter Demosthenicas servata est [6].

Damnatum esse Aristogitonem apparet ex Dinarcho [7]: traditus est undecimviris.

Causa igitur litis explicata transeamus ad rem ipsam, quam nobis proposuimus; de qua ita disputabimus, ut primum quaeramus, num oratio Aristogitonia prior Demosthenis esse possit; deinde num Hyperides vel alius ex aequalibus Demosthenis eam et conscribere et in foro habere potuerit; quod utrumque si negare necesse erit, tertio loco ostendemus, quisnam sit auctor orationis.

---

1) Or. adv. Ar. 54: *δεινῶν γὰρ ὄντων καὶ οὐκ ἐχόντων ὑπερβολὴν ὧν ἠκούσατε ἄρτι λέγοντος Λυκούργου .... Πρὸς μὲν γὰρ τῷ τὸν πατέρα εἰ τῷ δεσμωτηρίῳ προδοὺς ἀπελθεῖν ἐξ Ἐρετρίας, ὥσπερ ἠκούσατε Φαίδρου, ἀποθανόντα ὁ ἀσεβὴς οὗτος καὶ μιαρὸς οὐκ ἔθαψεν. — πρὸς δὲ τῷ τῆς μητρὸς μὴ ἀπεσχῆσθαι τὼ χεῖρε ὥσπερ ἀρτίως ἠκούσατε τοῦ μαρτύρων κτλ.*

2) l. c. 58: *ὑμεῖς δ' ἠγανακτεῖτε ἀρτίως, εἰ τῶν τὸν ἔρανον φερόντων εἰς τὴν σωτηρίαν αὐτῷ κατηγορεῖ.*

3) adv. Ar. II, 16: *ὅτι μὲν γὰρ πονηρὸς καὶ τὸν τρόπον δεινῶς ἄδικος, ἱκανῶς ὑμῖν, ὥς ἔγωγ' οἶμαι, ἐκ τῶν προειρημένων Λυκοῦργος ἐπιδίδειχεν.*

4) adv. Ar. I, 97: *Λυκοῦργος μὲν οὖν τὴν Ἀθηνᾶν ἐμαρτύρετο καὶ τὴν μητέρα τῶν θεῶν, καὶ καλῶς ἐποίει.*

5) Harpocr. s. v. *ἡλικία* et *ὄρυγμα: Λυκ. κατ' Ἀρ.*

6) Photios bibl. 265 p. 49, 35.

7) Din. II, 13: *ἐνδειχθεὶς ὑπὸ Λυκούργου καὶ ἐξελεγχθεὶς — καὶ παραδοθεὶς τοῖς ἕνδεκα κατὰ τοὺς νόμους.*

I.

Primum igitur consideremus, num Demosthenes auctor huius orationis esse possit, id quod C. E. A. Schmidtius et nuperrime Henr. Weilius, cuius summa est auctoritas in studiis Demosthenicis, statuerunt.

Qui in perlegendis Demosthenis orationibus ad hanc orationem venerit, non animadvertere non poterit, quantum omnia a summi illius oratoris arte et ingenio abhorreant.

Multae, ut hinc proficiscar, insunt res grammaticae, quae apud Demosthenem nusquam inveniuntur. Omnia quae huc pertinent cum A. Schaeferus [1]), Dobraeus [2]), Westermannus [3]), imprimis R. Braunius [4]) enumerent, satis habebo ea commemorasse, in quibus maxime offendimus; multa enim, quae illi notant, licentiae potius vel neglegentiae auctoris tribui possunt, ut particulae *μὲν* et *δὲ* singulari modo collocatae § 75: *ἐὰν ἡ γῆ μὲν ἄνω, τὰ δ' ἄστρα κτλ.* — § 75: *καὶ καλῶς ἐποίει* pro *καλῶς ποιῶν;* alia.

§ 42: verbum *κρίνειν* significat „existimare", quae significatio nusquam apud Demosthenem invenitur.

§ 51: Adverbim *ὁμοῦ* pro *ἐγγύς* „circiter" usurpatum est.

ibid.: *διατρίβειν τῇ ψυχῇ ἐπί τινι* „mente et ratione versari in aliqua re".

§ 68: Particula *ὅταν* usurpata est in definitione post pron. interrog. (*ἐκ τίνος ἀλλ' ἢ ὅταν*).

§§ 84 et 95: frequentat *ὅλως*.

Compluribus locis nimia est oratio: § 74: *αἴτιος γίγνεται γιγνομένων τούτων.*

§ 61: *περὶ τὴν γεγουνῖαν συμφορὰν ἄνθρωπος γενόμενος;* aliis [5]).

Notandae sunt nonnullae periodi tardae obscuraeque: § 31: *ἐφ' ἃ δ' ἂν χρήσαιτο κτλ.*, ad quem locum Schol.: *τοῦτο περισκελῶς δοκεῖ πεφρακέναι.* § 39: *εἰ τοίνυν κτλ.*

§ 10: Periodus obscura fit atque tarda participiorum copia.

---

1) l. c. p. 125 sq.
2) Adversaria p. 485.
3) Quaestt. Demosth. p. 99 sq.
4) l. c. p. 11—20.
5) A. Schaeferus p. 126.

Propter nimium hiatuum numerum iam Benselerus[1]) orationem a Demosthene abiudicavit.

Accedit magnus numerus verborum a Demosthenico sermonis usu alienorum, quae Braunius[2]) enumerat, qui quidem nonnulla rectius omisisset, ut *ἀνίδρυτος, ἄσπειστος, μιαιφονία,* quibus quamquam scriptores elegantes Attici sermonis non utebantur, tamen in iis non magis offendendum esse puto, quam in verbis *ἐλλεβορίζειν, σπερμολόγος, ὑποσκελίζειν, περίτριμμα,* aliis, quae leguntur in oratione de corona habita. Reliquus autem numerus tantus est, ut Demosthenem huius orationis auctorem esse non sit credibile.

Notandus est etiam verborum quorundam neglegentior usus, ut § 1, 3 etc.: *δίκαια;* § 2: *τῶν νόμων κρατεῖν.*

Molesta est crebra iteratio pronominis *οὗτος* §§ 14. 83. 91. imprimis § 86: *ἀλλ' εἴ τῳ τις ἢ φίλος ἢ γνώριμός ἐστιν ἐν τούτοις, ὡς ὑπὲρ τούτου τοῦτον προςήκει τοῦτο βούλομαι δεῖξαι.*

Asyndetorum[3]) et polysyndetorum[4]) quae dicuntur numerus eum modum transit, quem Demosthenes semper servat; idem de usu synonymorum in sententiarum conclusione dici potest[5]).

Venio ad translationes quae dicuntur, quae in Demosthenis orationibus rarae et sobriae exstant; contra Aristogitonia prior tot et tam graves exhibet[6]), quot ne eae quidem orationes, quibus orator nequissimos cives perstringit: Braunius in tota oratione de corona undecim modo invenit translationes, quae fusius explicantur, viginti tres, quas unum vel duo verba efficiunt.

Quamquam haec ita sunt, C. E. A. Schmidtius et H. Weilius orationem a Demosthene abiudicandam esse negaverunt. Atque quod ille dicit „non minus oratorum quam poëtarum principi licuisse interdum dormitare“, non puto opus esse

---

1) De hiatu in oratt. Att. p. 128.
2) l. c. p. 4 sq.
3) Braunius p. 15. Westermannus p. 99.
4) Braunius p. 15.
5) Braunius p. 15.
6) Westermannus p. 99. Braunius p. 11—13.

refellere; Weilius vero quomodo iudicium suum confirmet, accuratius videndum est. Dicit[1]), cum Lycurgus iam ante crimina exposuerit et leges a reo violatas enumeraverit, hanc orationem nihil esse nisi epilogum Lycurgi orationi adiunctum neque comparandam esse nisi cum epilogis aliarum orationum, imprimis cum iis partibus, quibus orator relicta explicatione rerum et argumentatione iam transit ad iudicum animos sibi conciliandos, excitandos contra reum. Hic locis Demosthenem vocabulis ad vulgarem popularemque sensum accommodatis, fictis et formatis ad causam praesentem uti, alia usurpare ea significatione, quae alibi in iis non inesset. Afferuntur ex epilogo orationis de corona habitae ex §§ 121—40: *ἐλλεβορίζειν* — *βοᾷς ὥσπερ ἐξ ἁμάξης* — *πομπεύειν ἀντὶ τοῦ κατηγορεῖν εἵλετο* — *σπερμολόγος* — *περίτριμμα ἀγορᾶς* — *ὄλεθρος γραμματεύς* — *τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις χρωμένη* — *τὸν καλὸν ἀνδριάντα ἐξέθρεψέ σε.* — *Τῷ Πύθωνι ... πολλῷ ῥέοντι οὐχ ὑπεχώρησα* — *ὑποσκελίζειν* — *ὁ βάσκανος οὗτος ἰαμβειοφάγος* — *οὐδέποτ' ἐκνίψει τάκεῖ πεπραγμένα σαυτῷ.* — Paulo inferius, cum denuo orator in Aeschinem invehitur: § 209 *ὦ κατάρατε καὶ γραμματοκύφων.* — § 242 *τοῦτο δὲ καὶ φύσει κίναδος τάνθρώπιόν ἐστι.* — ibid.: *αὐτοτραγικὸς πίθηκος, ἀρουραῖος Οἰνόμαος, παράσημος ῥήτωρ.*

Praeterea Weilius enumerat translationes nonnullas ex eodem epilogo sumptas: Homo venalis, qui rempublicam gubernat, comparatur cum examine trutinae. Paulo post Demosthenes praesidia illa, quibus urbem circumdederit, negat esse moenia ex lapidibus facta, esse contra arma, oppida, portus, naves, socios: a mari se urbem Euboea insula, a terra circumdedisse Boeotiis. Paulo inferius: Aeschinem ex longo silentio emergentem et clade publica facta denuo in foro dicentem esse quasi ventum post summam tranquillitatem exorientem. Citat praeterea Weilius hunc locum: *ἐν τούτοις λαμπροφωνότατος, μνημονικώτατος, ὑποκριτὴς ἄριστος, τραγικὸς Θεοκρίνης* (XVIII, 313); multos denique alios, praecipue autem illum *ἔδωκεν ὁ παρελθὼν*

---

1) l. c. p. 17 sq.

χρόνος πολλὰς ἀποδείξεις ἀνδρὶ καλῷ κἀγαθῷ, ἐν οἷς οὐδαμοῦ σὺ φανήσει γεγονώς, οὐ πρῶτος, οὐ δεύτερος, οὐ τρίτος, οὐ τέταρτος, οὐ πέμπτος, οὐχ ἕκτος, οὐχ ὁποστοσοῦν (XVIII, 310); cum his verbis comparata illa, quae legamus in oratione Aristogitonia § 8 (*θηρία, ὧν μέσος καὶ τελευταῖος καὶ πρῶτός ἐστιν οὗτος*) sobria ac verecunda esse.

Sed de hoc ipso loco, quem modo citavi, nonnulla dicenda sunt. Insolens est collocatio verborum *μέσος καὶ τελευταῖος καὶ πρῶτος;* praeterea in superlatione offendo: non potest fieri, ut Aristogiton simul primus et medius et postremus sit. At in Ctesiphonteae orationis locum haec reprehensio minime cadit: nam qui omnino in numero aliquo non est, is recte et accurate dicitur neque primus neque secundus neque tertius sqq. esse.

Atque id quidem a viro doctissimo recte moneri concedo: in translationibus illis nimiis gravissimisque et in verbis, quae (Weilius) affert, non esse offendendum. Sed quid Weilius dicit de rebus illis grammaticis a Demosthenico sermonis usu alienis? quae si nonnullis modo locis exstarent, a librarii manu profectas esse credibile esset, sed per totam orationem sparsae sunt; quid de nimio numero asyndetorum etc.? Praeterea in hac oratione permulta insunt verba, quorum ratio omnino alia est, quam illorum, quae Weilius affert ex oratione de corona habita:

§ 13: *προχειρίζεσθαι* hoc loco et apud Isocr. VIII, 122 eligendi significationem habet, apud Demosthenem semper „aliquid sibi parandi“.

§ 51: *αὐτοχειρίᾳ* pro *αὐτόχειρ.*

§ 61: *πρὸς κατεγγύην* „vadimonii causa“.

§ 83: *ψῆφον διαφέρειν* pro *ψῆφον φέρειν* vel *τιθέναι.*

§ 90: *ἐξάπτεσθαι* sibi induere.

§ 97: *συνεργεῖν τινι* adiuvare, multa alia, quae apud Demosthenem nusquam inveniuntur.[1])

Quae autem Weilius de hac oratione ut epilogo dicit, de iis accuratius disserendum esse mihi videtur. Saepe enim Athenis factum est, ut, si orator id, quod volebat, se

---

1) Braun. p. 5 sq.

non solum consecuturum esse putabat, unus vel plures alii oratores eum adiuvarent: aut horum oratio erat brevior epilogus aut oratores, praesertim in gravioribus difficilioribusque causis, accusationem inter se dividebant.[1]) Aristogitoniam autem priorem δευτερολογίαν esse et Libanii argumento et ex compluribus orationis locis[2]) apparet.

Atque cum Lycurgus, ut supra[3]) vidimus, non solum de legibus ab Aristogitone violatis dixisset, sed etiam quam turpes privata eius vita moresque essent, exposuisset, Demosthenes duobus modis suam orationem instituere potuit: aut ea, quae Aristogiton contra Lycurgi argumenta diceret refellenda excusationesque, quas proferret, eripiendas sibi proponebat, aut exponebat, quid de causa iudicari reipublicae interesset.

Videamus nunc, quomodo auctor Aristogitoniae prioris orationem instituerit. Δεοτερολογιῶν quae dicuntur quamquam prooemia brevissima esse solebant, cum prior orator iam ante dixisset, Aristogitonia prior duplex habet prooemium, quo explicatur, qua ratione causa praesens aestimanda sit (§§ 1. 2. 3—14). In oratione ipsa postquam §§ 15—53 demonstratum est, quae reus in rempublicam male gessisset, §§ 54—68 quam turpis esset eius vita privata, §§ 60—75 ea argumenta adduntur, quae Lycurgus omiserat. Ad extremum orator iudices, cum omnino nihil sit, cur reum absolvant, adhortatur, ut eum summo supplicio afficiant.

Quae partes ut non idonea ratione dispositae sunt, ita minus apte inter se cohaerent. Quae causa sit accusationis quasque leges violarit reus, auctor, cum iam Lycurgus demonstraverit quasi praeteriens modo commemorat. Sed uno loco ad ea quae Lycurgus iam protulerat argumenta alia adduntur: Aristogitonem iis, qui patrem eius sepelivissent, non modo sumptus non reddidisse, sed etiam litem intendisse, sororem vendidisse, Zobiam clientem, quae eum

---

1) Schoemann. Att. Proc. p. 708.

2) or. adv. Ar. I, 3. 14. 54. 69. 97.

3) p. 8—9.

fugientem apud se recepisset, pecunia atque veste instruxisset, Megara profectum adiuvisset, male vexasse. Denique quomodo in vinculis se gesserit, adiungitur. Reliqua vero omnia praeter hanc minimam partem non astrictam habent narrationem neque gravia argumenta, sed quaedam notiones philosophorum more definiuntur, loci communes tractantur (veluti illud: leges magni aestimandas esse), vel in universum dicitur de Aristogitonis improbitate, vel iudices admonentur, ne reum ut sycophantam ipsis utilem tueantur. Imprimis de legum ratione et de civium societate multa verba fiunt.[1]) Libanius quidem Demosthenem sic rem tractare coactum esse dicit, quod Lycurgus iam omnia fere exposuerit.[2]) Sed cur Demosthenes accusationem non cum Lycurgo diviserat? Et si id non fecerat, summum oratorem rem aliter tractare non potuisse credamus? Si nihil ei reliquum erat, si nihil nisi epilogum habere volebat, tam longa et tam inani disputatione opus erat? Potuit argumenta, quae Lycurgi oratione longius exposita erant, breviter colligere, iudices officii admonere, atque praecipue auctoritate sua Lycurgum adiuvare; id quod omnino non fecit: non enim sua sponte, sed invitum et coactum se Aristogitoni litem intendere dicit, quod haud nesciat qui accuset eum alio tempore ipsum accusari.[3])

Ne haec quidem a Demosthenis indole aliena esse Weilius statuit.[4]) Cum liberatus Aristogito, qui tam aperte tamque impudenter leges violasset, reipublicae magnae infamiae futurus fuerit magnoque periculo, quod eo absoluto futurum esset, ut oboedientia legum institutorumque Atheniensium minueretur neque publica neque privata vita tuta esset, Demosthenem non semel gravissime iudices monuisse oboedientia legum salutem reipublicae contineri. Oratorem, qui ne mores civium laberentur cavere vellet, necesse esse non modo descendere, ut Weilii verbis utar,

---

1) § 15 sq. (*τί ἐστι νόμος*: Schol.), § 32 („*περὶ ἀπονοίας*“: Schol.) § 87. § 11 (*δικαστής*). § 68 („*περὶ ἀναιδοῦς*“: Schol.) § 75.

2) Liban. argum. p. 769.

3) § 13.

4) l. c. p. 20.

„au niveau des intelligences populaires“, sed etiam populum efferre „à la hauteur des plus nobles conceptions“. Ne hac quidem in re Weilio assentior. Quis enim putet Demosthenem tam inani cantilena usum esse, qua indices moneret oboedientia legum contineri salutem urbis? Breviore atque graviore oratione iudicum animos multo magis movisset, quam hac tam vana declamatione. Weilius quidem respondet oratorem eodem modo multa verba fecisse de legibus in oratione Midiana. At quantum interest inter illos locos Midianae et hos Aristogitoniae; quod quo melius intellegatur, ex utraque oratione ipsa Demosthenis verba afferam: Aristog. I, § 15—17 (*Ἅπας ὁ τῶν ἀνδρώπων βίος . . . φανήσεται*); Mid. § 223—24 (*: Καὶ γὰρ . . . καὶ ὑμεῖς τοῖς νόμοις*). Illa philosophorum more dicta sunt: non ea de legibus dicuntur, quae causa praesens postulat, sed in universum leges definiuntur. Hoc contra loco ex Midiana desumpto id ipsum dicitur de legibus, quod causa praesens desiderat: „Ne deserueritis me: vos enim ipsos desereretis; non me unum Midias laesit, sed omnes, qui iniuriam ulcisci non posse videntur. Ne me isti tradideritis; quid enim est illud, quod salutem omnium, auctoritatem iudicum tuetur? Leges. At leges vobis non erunt praesidio, nisi eas coletis.“ Vim atque auctoritatem legum orator verbis ita expressit atque effinxit, ut tamquam animatae esse videantur. Accedit, quod Demosthenes talibus locis a singulis rebus transire solet ad generalem sententiam, quae illis illustretur atque intellegatur[1]); sed illo loco ex Aristogitonia desumpto a generali sententia transitur ad rem, de qua agitur, id quod Weilius quoque animadvertit.[2])

Nonnullae in hac oratione inveniuntur sententiae, quae a Demosthenis moribus omnino abhorreant. §§ 88—89: concordiam domesticam eo sustineri, quod patres indulgeant interdum peccatis filiorum, filii patribus nesciis peccent: item cives inter se interdum peccatis indulgere necesse esse, ut concordia civilis sustineatur. Afferri potest etiam illud, quod

---

1) vid. Blass. Att. Bereds. III A p. 178.
2) l. c. p. 3.

iam supra allatum est: § 13: non mea sponte, inquit orator, sed invitus et coactus in Aristogitone accusando Lycurgum adiuvo, quod haud nescio qui accuset, eum alio tempore ipsum accusari: sed populo necesse est parere.

Braunius [1]) Demosthenem nunquam tanto animi ardore tantaque accusandi libidine in reos inflammari memorat, ne in Aeschinem quidem, nequissimum civem, quanta huius orationis auctorem. Atque Weilius id non oratori, sed temporibus et improbitati rei tribuendum esse putat: [2]) inde a pugna ad Chaeroneam commissa usque ad mortem Alexandri, qua aetate Lycurgus Aristogitonis nomen detulit [3]), Athenienses pace usos esse; quos, nisi ab externis hostibus urbem defendere coacti essent, acriore discordia intestina vexatos esse: multitudinem causarum publicarum in dies auctam esse, factionum insaniam ac furorem crevisse, quo factum esse, ut etiam accusationes vehementiores fierent atque importuniores. Comparantem orationes Midianam, de falsa legatione, de corona effugere non posse, quam celeriter animi violentia creverit. Praeterea oratores quosdam illustres eximii ingenii, Demadem alios, civium animos vocabulis novitate atque audacia splendentibus capere studuisse. Auribus atque iudicio populi talibus orationibus assueti ne Demosthenem quidem non potuisse obtemperare, si aliquid valere voluisset. Neque mirandum esse, quod Demosthenes multo vehementius invehatur in Aristogitonem, nequissimum sycophantam, qui nullo honesto negotio occupatus sit, sed cives criminetur, eis lites intendat, vi et terrore ab iis pecuniam exprimat, quam in Aeschinem, venalem illum quidem hominem, sed oratorem illustrem [4]).

---

1) p. 4.

2) p. 20. 21.

3) Habitam esse orationem non multo ante causam Harpalicam apparet ex Din. or. Aristog. 113: *οὐ τὸ τελευταῖον οὗτος ἐνδειχθεὶς ὑπὸ Λυκούργου καὶ ἐξελεγχθεὶς ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ κτλ.* Scripta est Dinarchi oratio Ol. CXIV, 1, Aristogiton igitur accusatus est fere Ol. CXII. cf. Cobet. l. c. p. 375. Weil. p. 21. Westermann. Quaestt. Dem. p. 106.

4) l. c. p. 19.

Haec etiamsi a viro doctissimo recte disputata esse concedamus, quamquam *θηρίον* illud (§§ 8, 31, 59) a Demosthene usurpatum esse mihi persuadere non possum, tamen hoc modo non demonstratum est neminem alium quam Demosthenem auctorem orationis esse posse.

In eo quoque Demosthenem descendisse „au niveau des intelligences populaires“ Weilius putat, quod multis locis affectatam in nominandis deis ac paene superstitiosam pietatem prae se ferret. Aristogitonem imprimis confisum esse indulgentia humiliorum hominum, qui ipsi quoque aerarii fuerint debitores; hos autem fuisse maximam partem eorum qui in iudiciis adessent, quibus si orator ut Aristogitonem accusarent persuadere sibi proposuisset, eorum cogitationibus orationem accommodare necesse fuisse[1]).

At quis putet Demosthenem eo magis illorum animos sibi conciliaturum esse, quod *Εὐνομίαν, Δίκην, Αἰδῶ* invocet et describat, philosophorum poëtarumque potius quam populi deas? quis putet orationem eo graviorem fieri, quod *Ἀρά, Βλασφημία, Φθόνος, Στάσις, Νεῖκος* Aristogitonis comites esse dicuntur? quid denique sibi vult illud: *Ἀδράστειαν ἄνθρωπος ὢν προσκυνῶ*? Nusquam in Demosthenis orationibus tales invocantur dei[2]). Immo vero deridet Demosthenes Aeschinem, qui talibus verbis atque exclamationibus iisque minus ineptis minusque insulsis utatur. Coron. § 127: *εἰ γὰρ ... ἣν ὁ κατηγορῶν ... μὴ σπερμολόγος ... ὄλεθρος γραμματεὺς ..., οὐκ ἂν αὐτὸν οἶμαι ταῦτ᾽ εἰπεῖν οὐδ᾽ ἂν οὕτως ἐπαχθεῖς λόγους πορίσασθαι, ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα „ὦ γῆ καὶ ἥλιε καὶ ἀρετὴ“ καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ πάλιν „σύνεσιν καὶ παιδείαν“ ἐπικαλούμενον, „ἧ τὰ καλὰ καὶ τὰ αἰσχρὰ διαγιγνώσκεται“* (cf. Aeschin. III, 260). Illis vero cumulatis atque molestis obsecrationibus, quae inveniuntur §§ 77—79 (*ὡς ἀληθῶς ... νὴ Δία ... ἀλλὰ νὴ Δία ... νὴ Δία ... νὴ Δία*) Demosthenem usum esse non est credibile.

---

1) p. 20.

2) cf. Rehdantz „Demosthenes neun philipp. Reden“. Index II s. v. Schwurformeln.

Multae insunt in oratione sententiae, quae si non iisdem, tamen similibus verbis expressae in aliis Demosthenis orationibus inveniuntur. Qnas cum omnes fere priores critici furta ex vere Demothenicis orationibus esse censerent, Weilius ipsa ea re Demosthenem auctorem orationis esse confirmare vult[1]). Atque id quidem Weilio concedendum est Dobraeum in hac re interdum modum transiisse; fieri enim poterat, ut Demosthenes quod in alia oratione dixerat, in aliis iisdem fere verbis repeteret. Sed ex hac re non recte colligi Demosthenicam esse hanc orationem, apparet ex orationibus, quas a falsariorum manibus profectas esse inter omnes constat, ut ex Philippica IV. (X.), ex oratione περὶ συντάξεως (XIII.), in quibus permultas sententias ex Demosthenis orationibus depromptas invenimus. Nonnulli vero loci orationis Aristogitoniae sine dubio imitationes studio quaesitae sunt. Comparat Weilius cum Arist. §§ 20 sqq. Midianae orationis §§ 223 sqq.: utroque loco admiratione digno reipublicae salutem positam esse in legibus simili modo explicari exemplisque illustrari. Sed mea quidem sententia nullo alio loco facilius imitatorem Demosthenis deprehendere possumus. Quantum intersit inter hos locos, iam supra[2]) demonstrasse mihi videor. Praeterea autem Aristogitoniae orationis auctor non satishabet ostendisse legum auctoritate contiones populi et iudicia fieri, magistratus creari, sed etiam inepta illa addit exempla: legum auctoritate fieri, ut infirmae illae saepes senatui quingentorum praesidio sint; ut solo fune omnes, quibus non potestas esset, στοὰν βασίλειον intrare prohibeantur, in quam Areopagus conveniat; ut, si magistratus iusserit „μετάστητε ἔξω", populus pareat. Quibus de verbis quid iudicem, infra afferam, cum de auctore orationis verba faciam[3]).

Ex magno numero talium locorum, quos Dobraeus[4]) emunerat, satishabebo nonnullos, qui inter se simillimi sunt, attulisse: orat. Mid. §§ 101. 184 et Arist. § 22 societas ci-

1) p. 14. 15.
2) p. 16.
3) p. 36.
4) Adversaria p. 485.

vium cum *ἐράνῳ* comparatur. Conferendae sunt praeterea Arist. § 77: *τὸν ἑαυτοῦ βίον ... ποῖον; ὃν ποῦ βεβίωκεν; ὃν μὲν γὰρ ἅπαντες ὑμεῖς ἑοράκατε, οὐκ ἔστι τοιοῦτος* — et or. de fals. leg. § 200: *ποῖον οὖν ἐρεῖς βίον; ὃν οὐ βεβίωκας; ἐπεὶ ὅ γε βεβιωμένος σοι τοιοῦτος φαίνεται.*

Arist. § 82: *ὁ δὲ δὴ παμπόνηρος ἄνθρωπος ποῖός τις καλοῖτ' ἂν δικαίως, ὁ τρισκατάρατος, ὁ κοινὸς ἐχθρός, ὁ πᾶσι δυσμενής, ὅτῳ μήτε γῆ φέροι καρπὸν μήτ' ἀποθανόντα δέξαιτο; οὐχ ὁ τοιοῦτος;* — et de cor. § 119: *ὁ δὲ παμπόνηρος καὶ θεοῖς ἐχθρὸς καὶ βάσκανος ὄντως ποῖός τις ἂν εἴη πρὸς θεῶν; οὐχ ὁ τοιοῦτος;*

Quos locos si accuratius comparaverimus, auctorem Aristogitoniae orationis hunc locum desumptum ex orat. de cor. sibi imitandum proposuisse videbimus. Vocabula *παμπόνηρος, θεοῖς ἐχθρός, βάσκανος* significant aliud aliam speciem improbitatis Aristogitonis; quaeritur, qualis sit homo *παμπόνηρος, θεοῖς ἐχθρός, βάσκαιος;* respondetur: talis, qualis Aristogiton. Illo contra loco quaeritur, qualis merito appelletur *ὁ παμπόνηρος τριςκατάρατος, ὁ κοινὸς ἐχθρός, ὁ πᾶσι δυσμενής*: quorum vocabulorum *κοινὸς*, *ἐχθρὸς* et *πᾶσι δυσμενής* idem significant. Illud quod additur *οὐχ ὁ τοιοῦτος;* omnino ineptum et supervacaneum est; neque enim cuiquam illo modo quaerenti sic responderi potest.

Permulta alia afferri possunt[1]).

Huius tantae similitudinis nonnullorum locorum aut ea est causa, quod Demosthenes huius quoque orationis auctor est, id quod minus verisimile esse vidimus, aut quod, si quis alius eam conscripsit, is Demosthenem sibi imitandum proposuit: quod cum per se ipsum multis locis diiudicari non possit, hoc argumentum per se quidem non magni momenti esse videri potest, sed cum reliquis, quae supra protulimus, coniunctum tam grave est, ut non Demosthenem, sed Demosthenis imitatorem aliquem hanc orationem conscripsisse putandum sit.

Quod etiam in sententiarum ad numerum conclusione

---

1) cf. Dobr. l. c.

Fr. Blassius Demosthenis artem agnovit, quid de ea re sit iudicandum, aptius in tertia huius dissertatiunculae parte inquiretur [1]).

II.

Venimus ad secundum locum, quo quaerere propositum erat, num hanc orationem aliquis aequalium Demosthenis et conscribere et habere potuerit.

Traditum est Lycurgum in Aristogitone accusando adiutum esse a Demosthene; ipsa oratio Aristogitonis exstabat inscripta *ἀπολογία πρὸς τὴν ἔνδειξιν Λυκούργου καὶ Δημοσθένους* [2]); neque incredibile est Aristogitonem illam orationem re vera conscripsisse: Quintilianus enim eum in clarissimorum oratorum Atheniensium numero refert [3]), et Hermogenes eius genus dicendi describit [4]). Blassius autem ne eam quidem orationem genuinam esse putat [5]), mea quidem sententia nulla necessaria causa adductus. Photius enim refellens iudicium Dionysii, qui Aristogitoniam vere Demosthenicam esse negaverat: *οὐδ' ἐκεῖνο,* inquit *συνιδεῖν ἐθελήσας* (sc. *Διονύσιος*), *ὡς πολλῷ μείζων ἐστὶν ἤπερ ἡ ἐκείνου ἀπόφασις αὐτὸς ὁ Ἀριστογείτων ἀνομολογῶν Δημοσθένην κατ' αὐτοῦ γεγραφέναι· καὶ γὰρ ἀπολογούμενος οὐκ ἐν τῷ παρέργῳ λέγων, ἀλλ' ἐπιμελῶς ἀνταγωνιζόμενος ἐν τῷ λόγῳ δείκνυται, ὃς ἐπιγέγραπται πρὸς τὴν ἔνδειξιν Λυκούργου καὶ Δημοσθένους.* Quae verba sic intellexit Blassius: illa oratione Aristogitonem omnia quae auctor huius quam nos habeamus orationis protulisset crimina refellisse non quasi praetereuntem, sed diligenter singula; itaque illam quoque orationem, quae Aristogitonis nomine circumferebatur, suppositiciam esse. Statuit igitur vir doctissimus auctorem illius orationis hanc, quae Demosthenis esse putatur, respexisse. At equidem non video, quare fieri non potuerit, ut contra auctor huius orationis illam respiceret [6]).

1) p. 36.
2) Photius bibl. p. 491 a.
3) XII, 10. 22.
4) *π. ἰδ.* I, 7 p. 236. 9 p. 363.
5) Att. Bereds. III B p. 249.
6) Gaudeo meam sententiam Lipsii auctoritate confirmari, qui

Sic rem se habere censeo: illa oratione inscripta *ἀπολογία πρὸς τὴν ἔνδειξιν Λυκ. καὶ Δημ.* Aristogiton crimina a Lycurgo et a Demosthene in vera oratione prolata simul refutaverat neque diligenter seiunxerat, quae quisque eorum protulerat. Vera autem Demosthenis oratio, quam in illa causa habuit, Photii aetate iam perierat neque Photius in manibus habebat nisi hanc quam nos habemus suppositiciam orationem. Atque cum omnia Aristogiton in sua oratione refellere studeret, Photios dixit *„ἐπιμελῶς ἀνταγωνιζόμενος δείκνυται"*, id quod non ita intellegendum est, quasi Aristogiton crimina, quae in alia oratione proferantur, diligenter singula refellens contra Demosthenem dixerit. Nihil igitur impedit, quin putemus re vera Demosthenem in illa causa cum Lycurgo Aristogitonem accusasse, orationem autem Photii aetate iam periisse. Cui sententiae non sunt contraria Dinarchi verba, quae Blassius affert: *ἐνδειχθεὶς ὑπὸ Λυκούργου* (II, 13); ille solum Lycurgum eam ob rem nominat, quod *πρωτολογίαν* habuit, Demosthenes *δευτερολογίαν*.

Adiutum esse Lycurgum a Demosthene ob eam quoque causam verisimile est, quod iam antea, cum Aristogiton Hierocli litem intendisset, Demosthenes cum Phanostrato eum *παρανόμων* accusaverat, ut quinque talentis damnaretur [1]). Quam multam cum Aristogiton usque ad id tempus nondum solvisset, facile fieri potuit, ut Demosthenes Lycurgum adiuvaret. Accedit, quod post pugnam Chaeronensem Aristogiton cum aliis tum Demostheni lites intenderet. Haud ignoro summum illum oratorem nunquam nisi invitum accusatoris munus suscepisse [2]); sed ut Aeschinem, proditorem patriae, accusavit, ita etiam Aristogitonem, qui avaritia et impudentia cives vexaverat, ab eo accusatum esse non est incredibile.

---

l. c. p. 331 annot. 9: „Die Echtheit", inquit, „auch dieser Rede in Zweifel zu ziehn, sehe ich keinen Grund. Photios sagt doch nur, dass Arist. in ihr den Demosthenes (nicht die unter dessen Namen vorhandene Rede) eifrig bekämpfe und damit beweise, dass dieser gegen ihn geschrieben".

1) vid. p. 7.

2) cf. Blass. Att. Bereds. III A p. 34.

Quod cum in dubitationem vocari non possit simul a Lycurgo et a Demosthene Aristogitonem accusatum esse, haec, quam nos habemus, oratio aut a Demosthene ipso conscripta est, id quod incredibile esse ostendisse mihi videor, aut a falsario aliquo, qui Demosthenis artem et genus dicendi studio imitatus est. Aequalis Demosthenis eam habere non potuit.

Aequalem Demosthenis esse auctorem alia quoque de causa non est putandum. Multae, ut supra dictum est, in hac oratione insunt sententiae, quae vel iisdem vel similibus verbis expressae in aliis quoque Demosthenis orationibus exstant. Quod fieri non potuit, nisi aut Demosthenes ipse orationis auctor est aut aliquis, qui eius non solum dicendi genus, sed etiam sententias sibi imitanda proposuit. Illud non putandum esse priore parte ostendisse mihi videor; hoc autem ab oratore aequali factum esse quis putet? praesertim cum nonnullas sententias, quas in hac oratione, easdem inveniamus in Midiana, quae in lucem non prodiit nisi Demosthene mortuo.

Alia praeterea est causa, qua adducor, ut putem forensi luce caruisse hanc orationem. Permultis enim locis, ut iam supra dictum est, in universum dicitur de legibus, afferuntur loci communes, de improbitate Aristogitonis verba fiunt, alia. Duae modo partes omnino alius generis sunt: §§ 69—74 nova argumenta iis, quae Lycurgus protulerat, adiunguntur, §§ 54—61 ostenditur quam turpiter omnibus temporibus Aristogiton se gesserit. Hae modo partes dignae sunt oratore in foro exercitato, omnes aliae a forensis eloquentiae natura ac more vel maxime abhorrent.

Illi vero viri docti, qui hanc orationem in foro habitam esse putant, ut Weilius, Cobetus, Braunius, hanc imprimis afferunt causam: peritissimum esse auctorem hominum rerumque aequalium.[1]) Sed ne ea quidem re illos comprobasse puto, quod volunt. Consentaneum enim est eum, qui hanc orationem quasi Demosthenicam conscripsit, ut Demosthenis personam sibi quam maxime accommodaret,

1) Weilius p. 6. Cobet. p. 575 sq. Braunius p. 32 sq.

undique congessisse, quae de Aristogitone memoriae tradita erant: erant autem multa de eo tradita in Lycurgi oratione, in Hyperidis et Dinarchi orationibus, in Aristogitonis ipsius defensione. Quarum omnium hac aetate nihil iam exstat nisi Dinarchi oratio *κατ' Ἀριστογείτονος*, ex qua quid auctor desumpserit, Westermannus ostendere studuit.[1]) Quae Dinarchus in sua oratione Aristogitoni exprobret scelera, omnia fere fusius exposita in hac quoque oratione Demostheni adscripta reperiri. Din. p. 80 § 8, p. 87 § 18 et Arist. p. 786 sq. § 54 ostenditur, quomodo reus in patrem et vivum et mortuum peccaverit. — Din. p. 81 § 9. 10 et Arist. p. 788 sq. § 60—63: quomodo in carcere se gesserit. — Din. p. 82 § 10 et Arist. p. 779 § 30 et p. 790 § 67: de Aristogitonis repulsa. — Din. p. 83 § 12 et Arist. p. 781 sq. § 37 sq.: quamvis reus aerarii debitor sit, tamen eum in publico loqui audere. — Din. p. 87 § 18 et Arist. p. 793 § 78: munera sollemnia civitati eum nunquam solvisse.

Braunius vero, cui non ex Dinarchea nonnullae huius orationis res depromptae videntur, comparat, ut iudicium suum confirmet, duas narrationes de Aristogitone vinclis mandato[2]): in Dinarchea breviter modo scelus illius grave significari, in hac oratione plane copioseque de ea re disseri. At narrationes inter se simillimae eo tantum differunt, quod in oratione Demostheni adscripta illud de Tanagraeo, cui nasum Aristogiton mordicus abripuerit, scurriliter atque copiosius narratur: quod, si non ex Dinarchea, at ex alia oratione auctor facile depromere potuit, nisi ipse excogitavit Westermannus vero ut ex illa oratione omnia, quae in hac reperiuntur, sumpta esse comprobare conetur, tantum abest, ut id modo ostendere sibi proponat ut multa in hac oratione prolata ex Dinarchea defluxerint, ita alia facile ex aliis orationibus defluere potuisse. Atque id quidem ei contigisse mihi videtur, quamquam de eo dubitari potest, quod ex Dinarchea non solum res, sed ipsas sententias depromptas esse dicit. Din. p. 78 § 3 *οὐ γὰρ δὲ μὰ τὸν Ἡρακλέα κτλ.*

---

1) Quaestt. Dem. p. 104 sq.

2) p. 43.

comparat Westermannus cum Arist. p. 798 § 93 sq.; Din. p. 79 § 4 εἰ μὲν οὖν κτλ. cum Arist. p. 772 § 10 et p. 771 § 7; Din. p. 88 § 19 extr. cum Arist. p. 799 § 98. Quos inter locos quamquam certe similitudo intercedit, id quod Braunius negat, tamen sententiae tales sunt, ut auctor orationis Demostheni adscriptae eas proferre potuerit neque Dinarchi orationem legerit.

Hoc modo si auctor omnia, quae de Aristogitone memoriae tradita erant, congessit, non est mirandum nihil in oratione inesse, quod cum aequalium testimoniis pugnet. Ita fieri potuit, ut auctor non nesciret Philocratem Eleusinium, improbissimum hominem, Aristogitonis fuisse fautorem et adiutorem (p. 783), ut non nesciret illa quae de Zobia narrantur (p. 787), quae de Theoride venefica dicuntur (p. 793), βουλεύσεως ab Aristogitone accusatum esse Aristonem (p. 791). Consentaneum est auctorem ne illud quidem neglexisse: Aristogitonem χαλκοτύπον, σκυλόδεψον, alios accusasse, quod mihi quidem potius fictum esse videtur, ne oratio videretur caruisse luce forensi. Praeterea in hac oratione partes quasdam a Demosthene ipso conscriptas inesse suspicor, qua de re infra dicam, cum quomodo oratio inter Demosthenicas pervenerit, inquiretur.[1])

Ne id quidem recte protulisse mihi videntur, qui hanc orationem re vera Athenis in foro habitam esse volunt, nihil inesse, quod ab usu consuetudineque iuris forique Attici abhorreat.[2]) Inquiramus in singulas res.[3])

Cum omnes alii scriptores tradant Areopagitarum qui dicitur senatum convenire solitum esse in Martis collem, auctor huius orationis eum in regiam convenisse contendit. Quam difficultatem Braunius sic disceptat. Cum comitiorum locus priore aetate Pnyx fuisset, iam Demosthenis aetate, cum Athenienses, quantum possent, commoditati consulerent, modo in theatro Bacchi ad videndum audiendumque commodiore, modo in Piraeeo, aliis locis ea habita esse con-

1) p. 36.

2) Braunius p. 31. Weilius p. 6.

3) De iis, quae sequuntur, cf. Lipsii commentationem „Ueber die Unechtheit der I. Rede gegen Arist." (Leipziger Studien VI, 319 sqq.).

stare[1]); eodem modo etiam thesmothetas Braunius memorat in thesmothesio coenare solitos nihilominus Hyperide teste (fr. 165: *Ὑπερείδης ἐν τῷ κατὰ Πατροκλέους λόγῳ: οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ κτλ.*) eadem de causa in regiam convenisse. Eadem ratione fieri potuisse, ut Areopagitarum senatus Martis collem asperum tempestatisque incommodis obnoxium cum commodiore loco commutaret.

Quam sententiam ut comprobaret Braunio non contigit. Fieri quidem potuit, ut Demosthenis aetate comitia modo hoc modo illo loco haberentur, ut thesmothetae modo in thesmothesio modo in regia coenarent; Areopagitarum autem senatui nullo alio loco iudicare licebat, nisi in ipso colle Martis: capitalia enim tantum penes eum erant illa aetate iudicia de nece voluntaria, quae, ut erat antiquitus religio, nullo alio loco haberi poterant nisi in Martis colle.[2])

Duobus aliis in locis, quibus commemoratur *γραφὴ βουλεύσεως* (§§ 28. 71), iam Boeckhius offenderat (Urkunden üb. d. Seewesen etc. p. 536 sq.). Affert vir doctissimus titulum ad rem navalem Atheniensium spectantem: Sopolis Atheniensis a Polyeucto oratore accusatus, quod navium armamenta publicis navalibus integra non reddidisset, magna pecunia multatus est. Ille vero cum remos dedisset, ne pecuniam omnem solveret, senatus Polyeucto auctore decrevit, ut in solutum remi acciperentur pretiumque eorum de nomine detraheretur. Sequuntur haec in titulo verba: *ἐὰν δὲ οἱ τῶν νεωρίων ἄρχοντες οἱ ἐφ' Ἡγησίου ἄρχοντος παραλαβούσης τῆς πόλεως τοὺς κωπ[εάς] μὴ ἀναφράφωσιν εἰς τὴν στήλην [ἢ] ὁ γραμματεὺς τῶν ἕνδεκα μὴ ἀπολείψῃ ἀπὸ τοῦ ὀφλήματος τοῦ Σωπόλιδος τὸ γιγνόμενον τῶν κωπέων κατὰ τὰ ἐψηφισμένα τῇ βουλῇ ὀφειλέτω ἕ[κ]α[σ]τος αὐτῶ[ν] XXX δραχμ[ὰς] τῷ δημοσί[ῳ] καὶ [ὑπόδικος] ἔστω Σωπόλιδι καὶ τοῖς Σωπόλιδος οἰκείοις τῆς βουλήσεως τοῦ ἀργυρίου τῆς τιμῆς τῶν κωπέων.* Si igitur navalium curatores remorum pretium de nomine non detraxissent, So-

---

1) cf. Schoemann. de comitiis Athen. p. 56.

2) Lipsius (p. 329) monet capitalia indicia sub divo haberi solita esse.

polidi *βουλεύσεως* actionem intendere licere et in illos et in scribam undecimvirorum. Inde apparet *βουλεύσεως γραφὴν* actam esse, si quis nomen debitoris aerarii, quamquam debitum iam solvisset, non expunxisset. Quod iis, quae de *βουλεύσεως γραφῇ* in hac oratione dicuntur, repugnat. Nam ex § 71 (*ἀλλὰ βουλεύσεως τὸν Ἀλωπεκῆθεν Ἀρίστωνα διώκει ναί, φησίν· ἀδίκως γάρ μ' ἐγγέγραφεν*) apparere videtur *βουλεύσεως γραφὴν* in eum intendere licuisse, qui nomen eius, qui aerario nihil deberet, dolo malo inter aerarios retulisset. Accedit, quod Harpocration s. v. *ψευδεγγραφή* eodem modo explicat *ψευδεγγραφῆς* actionem: *ὄνομα δίκης ἐστίν, ἣν εἰσίασιν οἱ γεγραμμένοι ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ, ὡς καταψευσαμένου αὐτῶν τοῦ ἐγγράψαντος ἐν τῇ σανίδι τῇ παρὰ τῇ θεῷ κειμένῃ, ὡς ἀδίκως ἐγγραφέντες ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ;* id quod cum Arist. § 71 congruit, quamquam hoc loco *γραφὴ* non *ψευδεγγραφῆς*, sed *βουλεύσεως* memoratur. Quam rem quomodo Braunius disceptet[1]), nunc videamus.

Primum respiciendum esse statuit illam grammaticorum apud Harpocrationem explicationem actionis *ψευδεγγραφῆς* fluxisse e Lycurgi oratione adv. Aristogitonem habita (cf. Harpocr. s. v. *ἐγγραφή*). Tum e Suidae verbis apparere Lycurgum discrimen statuisse inter actionem *ψευδεγγραφῆς* et *βουλεύσεως* (Suid. s. v. *ψευδὴς ἐγγραφή· καὶ γὰρ διαφέροντα τίθησιν ὁ Λυκοῦργος*). Quod cum Libanius in argumento duabus Aristogitoniis orationibus Demostheni adscriptis praemisso omnino praetermittat, Braunius suspicatur Lycurgum, cuius oratio Libanio praesto erat, obiter tantum *ψευδεγγραφῆς* actionis mentionem fecisse, Libanium autem inter illius et huius orationis verba nullam animadvertisse discrepantiam; accedere, quod auctor orationis Aristogitoniae prioris cum de *βουλεύσεως* actione dicat, nusquam alterius mentionem faciat. Causam vero, quare Lycurgus alteram actionem ab altera differre monuerit, hanc Braunius esse suspicatur: oratorem, cum Aristogitonem iniuria Aristoni *βουλεύσεως* actionem, intendisse diceret, *ψευδεγγραφῆς* actionis, ut quam solam in hac causa illi intendere liceret,

1) p. 35.

rationem explicasse. Notatum enim erat Aristogitonis nomen in tabulis aerarii, quod multam, qua damnatus erat, non solvisset. Quod cum falso se notatum esse ab Aristone reus contenderet, non *ψευδεγγραφῆς*, quae sola legitima esset in hac causa, sed *βουλεύσεως* actionem illi intendisse Aristogitonem Braunius dicit. Oratorem vero, cum obiter tantum rem attingeret, eam ipsam actionem, quam Aristogiton Aristoni intendisset, attulisse. Affert Braunius exemplum, quo comprobet talem similium accusandi generum confusionem illa aetate, qua tot veteres leges cum novis commutarentur, saepius accidisse.

At si Aristogiton Aristonem *βουλεύσεως* accusasset, ea actio statim a magistratu reiecta esset[1]), ut quae non esset legitima, et Aristogiton coactus esset, si Aristonem accusare vellet, ei *ψευδεγγραφῆς* actionem intendere. Quamobrem fieri non potuit, ut orator, etiamsi obiter tantum rem attingeret, *βουλεύσεως* actionem commemoraret, non *ψευδεγγραφῆς*. Praeterea § 72 legimus; *ἂν ἕλῃ τὸν Ἀρίστωνα βουλεύσεως, τί ἔσται; ἐξαλειφθήσεται νὴ Δία, ὁ δ' ἀντεγγραφήσεται· ταῦτα γὰρ οἱ νόμοι λέγουσι.* Hac poena affectos esse eos constat, qui *ψευδεγγραφῆς* convicti erant. Neque vero est credibile eadem poena affectos esse, qui *ψευδεγγραφῆς*, qua qui *βουλεύσεως* convicti erant, quamvis grammatici quoque id tradant. Sic statuendum esse suspicor: eorum, qui *ψευδεγγραφῆς* convicti essent, nomen in tabulis aerarii inscriptum esse, quae poena aptissima ad delictum eorum videtur; qua poena affecti sint, qui *βουλεύσεως* convicti erant, nescimus; poenam eandem fuisse non est credibile.

Venimus ad alium locum, cuius difficultatem Braunius explanasse mihi non videtur. Cum non omnia delicta, quae quandoque inciderent, certis legum praescriptionibus comprehenderentur neque in iudicium deduci possent ordinario modo, et cum saepe causae inciderent, quae a vulgari ratione recederent, Athenienses extraordinarium actionis genus instituerant, *εἰσαγγελίαν*. Quodsi quis per *εἰσαγγελίαν* reus factus erat, populus *συνηγόρους* eligebat,

---

1) cf. Meier. u. Schoemann. Att. Proc. p. 602.

plerumque decem numero, qui quasi reipublicae causam apud iudices contra reum defenderent (cf. Schoemann. de com. Ath. p. 180 sq.). Quamquam autem id nunquam factum est, si quis per ἔνδειξιν, qua actione haec oratio Aristogitonia habebatur[1]), accusatus erat, tamen dicit orator se a populo συνήγορον electum esse.[2]) Non fuit haec causa Aristogitonia extraordinaria neque deerant certae leges, secundum quas de ea iudicari posset.

Quibus ex angustiis ut se expediat, Braunius statuit[3]) populum tum a solito iustoque iudicandi more recessisse et duo causarum genera per se diversa confudisse. Quam sententiam quo magis confirmet, affert exemplum iniustae contra sex imperatores litis, qui pugnae ad Arginussas commissae interfuerant; qua in causa solum Socratem exstitisse et contra leges sese acturum negasse; oratores autem paratos fuisse ad eum accusandum et populum id iussisse. Hunc populi assensum Braunius comparat cum iis, quae orator huius orationis de se patrono populi dicit. Mores Atheniensium inde a bello Peloponnesiaco ita effrenatos esse, ut veterum instituta legesque magis magisque neglegerent (Isocr. c. Callim. §§ 9. 10: *πολλὰ παρὰ γνώμην ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀποβαίνει καὶ ὅτι τύχῃ μᾶλλον ἢ τῷ δικαίῳ κρίνεται τὰ παρ' ὑμῖν*). Quamobrem non esse mirum, quod populus plenus odii adversus Aristogitonem, qui non modo homines de plebe vexaverat, sed etiam nobilissimos viros accusando insectatus erat, iustum ordinem et rationem tum quoque interpellarit. Cum Lycurgus per ἔνδειξιν se illum accusaturum professus esset, populum suam ipsius causam cum Lycurgo communicasse eique εἰσαγγελίας more patronos addidisse ad augendam accusationis vim.

Ne in hac quidem re Braunio assentiri possum. In illa enim contra sex imperatores causa populus Socratem accusari iussit, priusquam actio certa instituta esset, in hac vero causa Aristogitonia Lycurgus reum iam per ἔνδειξιν

1) Harpocr.: *πολλοὶ μέν εἰσι λόγοι ἐνδείξεως, γνωριμότατοι δὲ οἱ κατ' Ἀριστογείτονος Δημοσθένους.*

2) or. adv. Ar. I, § 13.

3) p. 40.

accusaverat neque credibile est genus accusandi mutatum esse. Praeterea si fieri potuit, ut Aristogiton illo accusandi genere, quo Lycurgus utebatur, condemnaretur, non video causam, qua populus ductus sua sponte illi *συνηγόρους* addiderit.[1]) Ne illud quidem traditum est populum in illa contra sex imperatores causa *συνηγόρους* elegisse, sed oratores tantum adhortatum esse, ut Socratem accusarent. Quod de hoc loco Westermannus[2]) suspicatur, dignum est, quod afferatur: deceptum auctorem orationis verbis, quae legantur apud Dinarchum p. 79 § 6: *ἐὰν μὲν ἡμεῖς οἱ κατήγοροι δέκα ὄντες τὸ ὕδωρ ἀναλώσωμεν ἅπαν κτλ.* somnium de oratoribus in causa Aristogitonia per *ἔνδειξιν* acta electis somniasse. Praeterea cum in Theopompi historiis legerit: *ὅτι τῶν Ἀθηναίων ἐπί τινα προβαλλομένων αὐτὸν κατηγορίαν, ὡς οὐχ ὑπήκουε θορυβούντων ἀναστὰς εἶπεν· ὑμεῖς ἐμοί, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, συμβούλῳ μὲν κἂν μὴ θέλητε χρήσεσθε, συκοφάντῃ δ' οὐδὲ ἐὰν θέλητε* (Theop. ap. Plut. vit. Dem. c. 14), in oratione Aristogit. § 13 id suo modo et artificiose, quamquam incaute et inconsiderate cum Dinarchea sententia eum conglutinasse.

Ex eo quoque Weilius hanc orationem re vera in foro Attico habitam esse colligit, quod clarissime ex ea cognoscere liceat, quomodo iudicum et auditorum animi in illa causa affecti fuerint, quae opiniones praesumptae removendae fuerint oratori, quibus rebus secundis uti potuerit.[3])

Ac primum quidem illud Weilius ostendit, quam caute et prudenter orator eos tractet, qui, ut Aristogiton, aerarii debitores sint. Aristogitonem damnatum, quod aerario deberet, tamen in publico dicere non veritum esse. Quod quomodo per complures annos fieri potuerit, apparere ex oratione. Non solum Aristogitonem, sed multos etiam alios cives humilioris ordinis, qui suis quisque negotiis occupati fuerint, aerarii fuisse debitores, quos nemo iure civitatis uti prohibuerit. Qua indulgentia usum Aristogitonem suam

---

1) Lipsius monet (p. 320) ne id quidem demonstrari posse illa aetate in *εἰςαγγελίαις* electos esse *συνηγόρους*.

2) Quaestt. Dem. p. 105.

3) p. 7 sq.

causam cum illorum confudisse. Weilius vero ipsos inter iudices fuisse putat, qni aerario deberent; quod enim orator dicat se id omnino credere nolle, ex eo ipso apparere eum probe scire esse inter iudices, qui aerario debeant. Hanc rem oratori magnam difficultatem afferentem Weilius admiratur quanta arte auctor superaverit. Jam ab initio orationis hanc rem attingi, probari illam indulgentiam, qua Aristogitoni uti licere orator neget. Prudentissime et clementissime dici de debitoribus aerarii: „Non puto quemquam eorum, qui adsunt, debitorem esse aerarii, sed nescio an sint, quorum amici aerario debeant nulla ipsorum culpa, sed quod aut praedes facti sunt pro aliis civibus aut postquam pecuniam mutuam dederunt, non receperunt. Hi miseri digni sunt, qui eadem indulgentia et misericordia fruantur, qua utuntur inter se propinqui. Nam ut concordia domestica eo conservatur, quod patres indulgent interdum filiorum peccatis, filii patribus nesciis peccant: ita cives eiusdem civitatis interdum peccatis inter se indulgeant necesse est, ut concordia civium conservetur. Sed talis non est Aristogitonis condicio: non sine sua ipsius culpa ius civitatis amisit, sed improbitate et impudentia, tantumque abest, ut infamiam minuere studeat, ut contra impudentissime et ante oculos civivium sibi sumat id ius, quod ei non licet. Quo fit, ut famae illorum miserorum, qui ei dissimillimi sunt, quam maxime noceat."

Atque id quidem Weilio concedendum est multos eorum, qui oratorem audiebant, aerarii debitores fuisse; quod autem ex illis verbis § 86 (*καὶ μή με ὑπολάβητε, ὦ ἄνδρ. Ἀθην., ὡς πρὸς ὀφείλοντας ὑμᾶς τῷ δημοσίῳ διαλέγεσθαι·*[1] *οὔτε γὰρ ἔστι μήτε γένοιτο τοῦτο, οὔτ᾽ ἐγὼ νομίζω*) concludit ipsos inter iudices fuisse, qui aerario deberent, haec res certo disceptari non potest. At quomodo cum illorum hominum humiliorum causa Aristogiton suam confundere potuerit, equidem non assequor: illi suis quisque negotiis occupati non ita aegre ferebant, quod vetiti essent in publico dicere. Praeterea Aristogiton, qui non modo homines de plebe vexaverat, sed etiam celeberrimos viros accusando insectatus erat, illis omnino dissimillimus erat neque fieri

potuit, ut orator illos offenderet, cum hominem nequissimum accusabat. Ac si inter iudices fuissent, qui aerario deberent, maxime iis cavendum fuisset, ne Aristogitone liberando suspicionem ad ipsos converterent. Illud vero, quod dicitur de ratione concordiae civium conservandae a Demosthenis moribus omnino abhorret.

Aliam praeterea Weilius putat opinionem praesumptam oratori removendam fuisse, qua de re haec est viri docti argumentatio. Cum Athenis iudicium fieri non posset, nisi quis accusator exsisteret, magni momenti fuit, quod sycophantae illo munere fungebantur. Quo munere plurimi cives abstinebant, quod aliquid invidiae habebat: quamobrem in omnibus fere orationibus, quae sunt habitae in causis publicis, oratores initio ostendebant, quibus iniuriis sibi a reis allatis quibusque causis adducti patrocinium causae publicae suscepissent, ne sycophantae esse viderentur. Sycophantae autem, quamvis essent contempti, tamen, cum necessarium quasi essent malum, populari quadam fruebantur gratia: magna pars populi eos patronos causae publicae existimabat, qui cives defenderent a proditoribus et hominibus rerum novarum cupidis. Quid senserit non minima pars populi de sycophantis, Theophrastum ostendere putat Weilius in eo capite, quod inscribitur „*ὁ φιλοπόνηρος*“: Charact. XXIX: *καὶ εὔνους δὲ εἶναι αὐτῷ . . . ἐπὶ δικαστηρίου κρινομένῳ· καὶ πρὸς τοὺς παρακαθημένούς δὲ εἰπεῖν δεινὸς ὡς οὐ δεῖ τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα κρίνεσθαι, καὶ φῆσαι αὐτὸν κύνα εἶναι τοῦ δήμου, φυλάττειν γὰρ αὐτὸν τοὺς ἀδικοῦντας.* Eodem modo Aristogitonem quoque multi cives *κύνα τοῦ δήμου* putabant. Hanc opinionem Weilius putat oratori tollendam fuisse atque id summa arte ab eo effectum esse. Cum plurimi, qui sic de sycophantis sentirent, id celarent, oratori cavendum fuisse, ne indicaret se putare etiam iudices ea opinione captos esse. Quamobrem ita eum rem tractare, ut non cum iudicibus de prava illa opinione colloquatur, sed cum Philocrate quodam Eleusinio, Aristogitonis socio. Cui ostendit hominem, qui accusaverit Hegemonem, Demadem, Agathonem ea sola de causa, ut pecuniam ab iis acciperet, accepta autem litem persequi

destiterit, qui eos semper adiuverit, qui maximam pecuniam obtulerint, talem hominem neque honestis neque improbis amicum esse posse.

Atque id quidem Weilio concedendum est interdum non omni populari gratia caruisse sycophantas [1]), sed talem hominem, qualis erat Aristogiton, qui summos infimos accusando atque vi vexaverat, eadem usum esse gratia omnino mihi videtur incredibile esse; talis hominis mores quam perniciosi essent civibus, si orator indicibus persuadere voluit, non opus erat rem ita tractare, ut ei non cum iudicibus res esse videretur, sed cum Philorate; quem unum ob eam solam causam alloquitur orator, quod ille unus se Aristogitonis socium esse aperte profiteri ausus erat.

Quamquam si modo recte illud demonstravimus hanc orationem ab aequali Demosthenis neque conscriptam neque habitam esse posse, non esset necesse eorum refellere sententiam, qui Hyperidem auctorem esse volunt, tamen, ne quid omissum videatur, Reiskii et Cobeti sententiam breviter attingere liceat. Reiskius [2]), cuius aetate Hyperides non erat notus nisi ex iis, quae veteres critici de eo iudicabant et ex eius orationibus afferebant, praecipue eo est adductus, ut Hyperidem auctorem esse vellet, quod a grammaticis illius orationem *πρὸς Ἀριστογείτονα* laudari vidit; recte vero Weilius monet hanc quam nos habeamus orationem non esse *πρὸς Ἀριστογείτονα*, sed *κατὰ Ἀριστογείτονος* [3]). Praeterea orationem Hyperideam habitam esse constat, cum ille propter decretum post pugnam Chaeronensem latum, quo *ἀτίμους* et exsules restitui servosque liberari iubebat, ab Aristogitone *παρανόμων* accusatus esset [4]). Nihilominus Cobetus [5]) Reiskii coniecturam denuo defendere conatus est. Causae, quas affert, haec sunt. Orationis Aristogitoniae genus dicendi minus est limatum, minus vitantur sordes po-

---

1) Quid Dem. de iis senserit, apparet ex Coron. 242: *πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον.* cf. ibid. 266.

2) Annot. ad orat. adv. Aristog. p. 777, 5. 786, 5.

3) l. c. p. 11.

4) cf. Blass. Att. Beredsamk. III B p. 9.

5) Miscellanea critica p. 559 sq.

pularitatis, „quae non minus in sententiis, argumentis, exemplis, comparationibus ex vitae usu petitis, quam in dictione et verbis cernuntur"; quod idem dici potest de oratione Hyperidea *ὑπὲρ Εὐξενίππου* nostra memoria reperta. Ut igitur oratio neque Demosthenis neque rhetoris alicuius opus est, ita Hyperidis eam esse necesse est, cuius faceta et dicax et popularis facundia facile cernitur.

Hanc Cobeti sententiam refutavit Henr. Weilius [1]), cuius afferam argumenta. Concedendum est inesse in hac oratione nonnulla, quae cum Hyperidis indole consentiant, similitudinem quandam intercedere inter initium huius orationis et orationis Euxenippeae: Aristog. § 1: *Πάλαι καθήμενος, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ κατηγοροῦντος ἀκούων ... Λυκούργου, τὰ μὲν ἄλλα καλῶς αὐτὸν ἡγούμην λέγειν, ἓν δὲ τεθαύμακα ...., εἰ ἀγνοεῖ, ὅτι. ...*

Euxenipp. § 1: *ἀλλ' ἔγωγε, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅπερ καὶ πρὸς τοὺς παρακαθημένους ἀρτίως ἔλεγον, θαυμάζω, εἰ μὴ προςίστανται ἤδη ὑμῖν αἱ τοιαῦται εἰσαγγελίαι.*

Sed Hyperidis genus dicendi non in tota oratione cernitur. Facetae quidem insunt sententiae, quae Hyperidis erant propriae, sed aliae hae sunt facetiae, aliae Hyperidis. Huius erant laetae cum venustate et gratia coniunctae; orationis Aristogitoniae auctor facetus est cum acerbitate, non laedit reum, sed percellit. Multo pluribus vero locis orationis cernitur vehemens quidam ardor accusandi, quam facetiae, id quod iam Hermogenes animadvertit, qui dicit: *παράδειγμα ... σφοδρότητος σχεδὸν μὲν ἅπας ὁ κατὰ Ἀριστογείτονος τοῦ Δημοσθένους λόγος* [2]). In Hyperide vero, illo Phrynae defensore, plus urbanitatis erat, quam ardoris. Notandae praeterea sunt audaces illae et superbae translationes et comparationes, contentio illa in dicendo: *οὐχὶ παιδία, οὐχὶ μητέρας τῶν κρινομένων ἐνίων γραῦς παρεστώσας ὁρῶν οὗτος ἠλέει. εἶτα σοὶ συγγνώμη; πόθεν ἢ παρὰ τοῦ; ἢ τοῖς σοῖς παιδίοις ἔλεος; πολλοῦ γε καὶ δεῖ. σὺ τὸν εἰς ταῦτα ἔλεον προδέδωκας, Ἀριστ., μᾶλλον δ' ἀνή-*

---

1) p. 11 sq.

2) Hermogenes *π. ἰδ.* 8 p. 240.

ρηκας ὅλως. μὴ δὴ πρὸς οὓς αὐτὸς ἔχωσας λιμένας καὶ προβόλων ἐνέπλησας, πρὸς τούτους προςορμίζου· οὐ γὰρ δίκαιον (§ 84).

Τούτῳ δ' οὐδένα ὁρῶ τῶν τόπων τούτων βάσιμον ὄντα, ἀλλὰ πάντα ἀπόκρημνα, φάραγγας, βάραθρα (§ 76).

A quibus omnino abhorrent quae Dionysius Halicarnassensis, Quintilianus, alii de Hyperidis indole iudicant. Dionysius Halicarn. Din. c. VII: *Τῆς μὲν λέξεως τὸ ἰσχυρόν* (Reisk.: *ἰσχνόν*), *τῆς δὲ συνθέσεως τὸ ἁπλοῦν, τῶν δὲ πραγμάτων τὸ εὔκαιρον, τῆς δὲ κατασκευῆς τὸ μὴ τραγικὸν μηδὲ ὀγκῶδες*".

Quintilianus inst. orat. X. 1. 77: „Dulcis imprimis et acutus Hyperides, sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par.

Περὶ ὕψους c. 34: ... *καὶ γὰρ λαλεῖ μετὰ ἀφελείας, ἔνθα χρή, ... τό τε ἠθικὸν ἔχει μετὰ γλυκύτητος ἡδὺ λιτῶς ἐφηδυνόμον· .... σκώμματα οὐκ ἄμουσα οὐδ' ἀνάγωγα ... ἀμίμητον δὲ εἰπεῖν τὸ ἐν πᾶσι τούτοις ἐπαφρόδιτον.*

Accedit, quod multi veteres critici Hyperidis indolem agnoverunt in compluribus Demosthenis orationibus, nemo in oratione Aristogitonia; contra in hac oratione sententias et translationes invenisse sibi videbantur, quae non abhorrerent ab indole atque arte Lycurgi, qui Hyperidis dissimillimus est. Liban. argum.: *οἱ δέ φασι ἐπίτηδες τὸν ῥήτορα τοιούτῳ χαρακτῆρι κεχρῆσθαι, ζηλώσαντα Λυκοῦργον εὐδοκιμοῦντα παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις.* Schol. ad Hermog. t. VII p. 1044 Walz: *τὸν Λυκούργου χαρακτῆρα ἐμιμήσατο, τροπαῖς καὶ γνώμαις χρώμενος ἐν τῷ κατὰ Ἀριστογείτονος.*

III.

Cum igitur orationis auctor neque Demosthenes neque orator aequalis esse possit, in causa illa Aristogitonia habita esse omnino non potest, sed ab rhetore aliquo vel sophista conscripta est. Hoc si statuerimus, omnia, in quibus offendimus, explanari possunt: cantilena illa et definitiones magis philosophorum quam oratorum more dictae, studium illud Demosthenis artem et genus dicendi imitandi, alia; neque quae de consuetudine iudiciorum commemorantur

aliena ab iis, quae apud alios legimus scriptores, ita tueri opus est, ut posterioris aetatis confusione institutorum id factum esse dicamus. Atque ex quo loco (§§ 20—24) alii hanc orationem re vera in foro habitam esse collegerunt, ex eo mihi quidem apparere potius videtur rhetorem aliquem esse auctorem: in iis quidem, quae §§ 20—22 continentur, nemo facile offendet; sed quid sibi volunt exempla, quae sequuntur (*κιγκλίς* — *βασίλειος στοά* — *περισχοινίζεσθαι* — § 20 *ἕναι ἀρχαί*)? quae rhetor ea de causa addidisse mihi videtur, ut scientiam institutorum Atticorum prae se ferret. Quod orator, ut verba sua probet, leges, decreta, testes citat (§§ 58. 62), inepte ea addita esse puto, praesertim cum, id quod A. Schaeferus monet [1]), leviores tantum res iis confirmentur. Illud vero, quod orator § 37 dicit: „*ἀλλ' Ἀριστογεῖτον, ἑπτὰ γραφὰς κέκρικάς με, τοῖς ὑπὲρ Φιλίππου τότε πράττουσι σεαυτὸν μισθώσας, καὶ εὐθύνας διδόντας δὶς κατηγόρησας* — desumptum esse ex orat. de Coron. §§ 249. 250. Braunius et Blassius viderunt.

Unde auctor scientiam hominum rerumque aequalium hauserit, iam supra demonstratum est [2]); nonnulla ad ea, quae ibi dicta sunt, addam. Quamquam enim orationem in foro habitam esse nego, tamen concedendum est nonnullas partes praeclare esse scriptas, aliquot locis varietatem et et copiam in enarrando cerni [3]), gravitatem atque artem in in argumentando [4]), ut non sit mirandum, quod alii orationem Demosthenis esse censuerunt. Iam supra [5]) dixi Fr. Blassium etiam in sententiarum ad numerum conclusione Demosthenis artem et ingenium agnovisse. Quaesiverit quispiam, quomodo id explicemus. Partes aliquas re vera a Demosthene scriptas auctori orationis praesto fuisse suspicor, id quod factum esse videmus in orationibus *κατὰ Φιλίππου δ.* (X.) et *περὶ συντάξεως* (XIII.), quarum auctores ne numerum quidem Demosthenicum neglexerunt. Quae

---

1) Demosthenes u. s. Zeit III B p. 121.
2) vid. supra p. 24.
3) §§ 55—61.
4) §§ 69—74.
5) vid. supra p. 21.

autem sint illae partes et quomodo in hanc orationem pervenerint, id certo definiri omnino non potest. Constat, ut supra[1]) diximus, Demosthenem iam antea Aristogitonem *παρανόμων* accusasse; atque nescio an iam tum decreverit Aristogitonem, nequissimum et perniciosissimum civem, occasione oblata iterum accusare; quod si ita est, facile fieri poterat, ut singulas quasdam partes scriberet, quas in orationem postea habendam insereret: in aliis quoque orationibus id factum esse apparet, ut dixi, ex oratione Philippica IV., cuius aliquot locis easdem sententias eisdem fere verbis expressas invenimus, quas in oratione *περὶ τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ;* quas Blassius ex hac oratione ab auctore illius desumptas esse merito suspicatur[2]); idem dicendum est de oratione *περὶ συντάξεως* (XIII).[3]) Quod si ita est, sic statui potest: auctori orationis Aristogitoniae iam non praesto fuisse Demosthenis orationem, quae perierat, sed illas partes iam ante a Demosthene elaboratas, quas aliquo modo commutatas in orationem inseruerit auctor. Sed, ut iam dixi, nihil certi de hac re scire possumus. Quod huius orationis habitus et color iidem fere sunt, qui orationum forensium, quod tanta diligentia orator utitur in testibus et documentis afferendis, id eo minus mirabimur, quo propius orationem a Demosthenis aetate abesse existimabimus; sed ne hac quidem de re quicquam certi dici potest; ad imitationem autem fori apud Graecos iam Demetrii Phalerei aetate materias fictas esse Quintilianus II. 4. 41. auctor est; ipsum iam Aeschinem id fecisse alii tradunt (vid. Westermann. Geschichte der gr. Beredsamk. § 64 annot. 4).

1) vid. § 8.
2) Att. Beredsamk. III A p. 344.
3) l. c. p. 354.

Vita.

Natus sum Hugo Stier a. d. IV. Non. Mart. anni h. s. LXI. Wernigerodae, patre Friderico, quem morte mihi ereptum esse doleo, matre Carolina e gente Wellneriana, quam adhuc superstitem esse laetor. Fide initiatus sum evangelica. Primis litterarum elementis imbutus anno h. s. LXXII in gymnasium patriae urbis receptus sum. Vere anni h. s. LXXX maturitatis testimonium adeptus universitatem Halensem adii, post sex menses Berolinum me contuli, unde post tria semestria redii Halas, quarum denuo fui civis usque ad auctumnum anni h. s. LXXXIII. Et Halis et Berolini interfui exercitationibus seminarii et proseminarii philologi. Benignitate Henr. Heydemanni mihi contigit, ut per duo semestria interessem exercitationibus archaeologicis, J. Zacher benigne permisit, ut interessem per unum semestre exercitationibus theodiscis. Scholas frequentavi doctissimorum virorum Halensium Dittenberger, G. Droysen, Erdmann, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Pott, Ulrici, Zacher, Berolinensium E. Curtius, Huebner, A. Kirchhoff, Lotze, Plath, Robert, Treu, Wattenbach, Zeller. His viris omnibus optime de me meritis gratias ago maximas.